



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XVI. Quanto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

1 Notandum primò. Non posse ad petitionem etiam cuiuscunque Patroni novum censum imponi Ecclesijs, neque augeri veterem, quicquid in prima tandem fundatione fieri possit; ita ut non tantum juramentum de tali novo censu, aut augmento solvendo nullum sit, prout jam dictum, & absolutio, de qua in hoc cap. mentio fit, non tam sit de juramento, quàm de peccato temeritatis, sed fidei iusoria etiam cautio, si præstita fuit, non teneat, cum sit accessoria ei, quod non tenet.

2 Notandum secundo. Canonicam penam, quæ talibus temerè censum novum, aut veteris augmentum sub juramento in se recipientibus, aut imponentibus statuitur, arbitrariam esse, cum à jure nulla certa statuta sit; & quamvis in *cap. quia Clerici ix. h. r.* pœna privationis statuatur in tales censum novum, aut veteris augmentum imponentes, sermo tamen ibi est, si Simoniaca collusio intervenerit, quæ cum in hoc *cap.* locum non habeat, consequenter pœna ibi statuta ad hunc casum extendenda non est.

CAPITULUM XVI.

Quanto.

PARAPHRASIS.

Fundatores monasterij Bellavillæ in ipsa hujus fundatione liberaliter constituerunt, ut singulis annis una procuratio ab hoc monasterio Religiosis Fratribus S. Irenæi solveretur: quæ procuratio, quia non multum ob paucitatem Monachorum S. Irenæi gravabat monasterium Bellavillæ, dictis Fratribus diligenter solvebatur; successu tamen temporis, cum augetetur numerus fratrum S. Irenæi, multum gravis esse cœpit dicta procuratio, cum ad eam magni sumptus requirerentur. Rogaverunt proinde Pontificem Monachi Bellavillæ, ut circa hanc procurationem, in ipsa fundatione illis impositam, provideret, ne nimium gra-

varetur Villavilla monasterium, sed primam mensuram, quæ ab initio solvebatur, contenti esse juberentur S. Irenæi Monachi, non obstante majore jam numero Fratrum S. Irenæi: quod ut fieret, à Pontifice concessum est, nisi reditus dicti monasterij Bellavillæ multum augeti fuissent, ut in solvenda etiam pinguius procuratione, cum nulla determinata esset, monasterium Bellavillæ singulariter non gravaretur.

SUMMARIUM.

In fundatione beneficij, aut monasterij, gravari quidem hoc potest pensio solvenda onere, augeri tamen tantum facile postmodum hac pensio non potest.

Notandum. Posse quidem in fundatione talis monasterij aut beneficij, gravari illud onere pensionis alicujus tertio solvendæ; augeri tamen hanc pensionem, quamvis nulla determinata quantitas sit, postmodum multiplicatis illis, in quorum gratiam tale onus impositum est, non debere (neque enim, quod ab initio constitutum est, facile mutari debet, ut ait *Glossa hic V. indulgemus*) nisi notabiliter audita essent facultates onerati monasterij, aut beneficij (cum enim ex meta liberalitatis onus hoc in se suscepit beneficium, vel monasterium, consequenter ad gravamen nimium non extendendum) judicata hanc moderationem faciendam officio explorato, nisi sine singulari gravamine sibi posset major etiam pensio, aut procuratio.

CAPITULUM XVII.

Cum instantia.

PARAPHRASIS.

Conquesti sunt apud Innocentium III. Papam Clerus & Præmicerius Mediolanensis, quod, cum illi Legatos & Nuncios Sedis Apostolicæ reverenter recipere vellet, procurationes eis præstent, hoc tamen Or-